



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Excvsatio Praelatorvm Gallicorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

EXCVSATIO PRÆLATORVM  
Gallicorum.

*Vniuersis & singulis præsentis literas inspecturis, Guillelmus Costæ presbyter in decretis baccalaureus, prior, seu commendatarius prioratus sancti Stephani de Valleloysia Ebredunensis diœcesis, & canonicus ecclesiæ collegiatæ sancti Saluatoris Montispessulani diœcesis Magalonenfis, vicarius in spiritualibus & temporalibus generalis, reuerendi patres domini Ludouicus de Maxis sanctæ sedis apostolicæ protonotarius, ac præpositi, commendatarii præpositatus, seu cœnobii Vlcienfis ordinis sancti Augustini Taurinensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam.*

Notum facimus, quod in nostra, notariorumque ac spectabilium & scientificorum doctorum & testium infra scriptorum præsentia existentes & personaliter constituti coram nobis sedentibus pro tribunali in cœnobio dicti præpositatus, reuerendi in Christo patres ac domini, domini episcopi, Ioannes Lexouienfis, Antonius Engolismensis, Franciscus Ambianensis, Ioannes Cabilonensis, Symphorianus Laudunensis: magistri in theologia, Ioannes Lelamienfis, Antonius Lescurre: archidiaconi, Ioannes de Fraxino Tolofanensis, Guillelmus de Nossai Lexouienfis, iurium doctores, legati, oratores & procuratores ad sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Leonem papam decimum & modernum, per nonnullos reuerendos patres, qui in congregatione Pisana interfuerunt, suo & aliorum nomine procuratores decreti & destinati exposuerunt, quod sunt supra sexaginta dies effluxi, quibus huic loco applicuerunt, & plusquam quatuor menses huic legationi vacarunt. Verumtamen cum primum huic loco applicuerunt, fuere a mazerio præfati sanctissimi domini nostri papæ certiores effecti, quod Maximilianus Sfortia ducatus Mediolanensis detentor, eidem mazerio breue apostolicum sibi offerenti, com meatum & saluum conductum præfatis oratoribus recusare non erubuit. Quod intelligentes præfati oratores, visi sunt viam Genuensium tentare: quibus significatum est, illam propter diuisiones, factiones & bella ipsorum Genuensium, ac incursiones vicinorum

& confœderatorum præfati Maximiliani, minime tutam esse, nec posse illac proficisci sine suarum discrimine & periculo personarum, tam ex causis præmissis, quam ex insidiis ab hostibus Christianissimi regis eisdem paratis. Quare præfati oratores de præmissis omnibus eiusdem sanctissimi domini nostri papæ nuntio super hoc specialiter destinato certificauerunt, & responsum a sua sanctitate acceperunt per suum Breue, datum Romæ die decimasextima Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo decimoquarto: quo continebatur, quod sanctitas sua de saluoconductu Maximiliani & Octauiani nobilium Mediolani & Genuæ detentorum, eis prouideri faceret, prout ex literis reuerendi patris domini Claudii episcopi Massiliensis, Christianissimi Ludouici Francorum regis oratoris, latius certiores redderentur. Insequendo igitur prædictum mandatum apostolicum, supra viginti dies hic expectauerunt, nullo saluoconductu a dicto Maximiliano recepto, nullaque dictum saluumconductum recipiendi spe data. Quapropter præfati oratores, ne mora possit eis quomodolibet imputari, sed vt de eorum obedientia, deque ipsius Maximiliani contumacia, inobedientia & reluctatione, ipsi sanctissimo domino appareat, curarunt suam præfatam sanctitatem de omnibus præmissis iterum certiorare, & vt apertius liqueat non tantum de eorum debita diligentia, sed etiam de bona, quam erga præfatum sanctissimum dominum nostrum & sedem apostolicam gerunt, voluntate, & talem hactenus fuisse, vt ab illius vnitatem nunquam voluerint, minusque in futurum velint villo pacto discedere, sed illius mandatis perpetuo obtemperare, neque schismaticos vnquam fuisse, sed vnam ecclesiam catholicam sub vno pontifice maximo coluisse, & obseruasse quidquid ab inimicis veritatis & Christianissimi regis & regni ex aduerso dictum fuerit. Ipsi, inquam, oratores non valentes habere optatam præsentiam prædicti sanctissimi domini nostri (quod dolentes ægre tulerunt) & hoc propter viarum discrimina, & inimicorum Christianissimi regis & regni ex aduerso insidias eis paratas, prout ipsis apertius constitit, tam nomine suo, quam procuratorio reuerendorum patrum dominorum Gaspari de Turo-ne Valentiniensis & Diensis, Claudii de Longo vico Matif-

ANNO  
CHRISTII  
1544

ANNO  
CHRISTI  
1514.

conensis, & Guiscardi Hieropolitanensis titularii, & Lugdunensis suffraganei, episcoporum, ac domini Ioannis Arzele-  
ri iurium doctoris, Lugduni existentium. Qui quidem præ-  
dicti patres interfuerunt prædictæ congregationi Pisanae,  
prout dixerunt & exposuerunt tam nomine suo, quam alio-  
rum reuerendorum patrum archiepiscoporum, episcopo-  
rum, & omnium & singulorum cuiuscumque status, gra-  
dus & dignitatis existentium, ecclesiastici vel temporalis,  
qui in congregatione Pisana interfuerunt, eis adhaerentium  
& adhaerere volentium sub illa meliori forma qua potue-  
runt & debuerunt, obtemperando mandatis apostolicis  
& exhortationibus regiis, suos fecerunt & constituerunt  
procuratores legitimos & oratores prædictos reuerendos  
patres dominos ad sanctissimum dominum nostrum pa-  
pam specialiter & expresse, ad renuntiandum congrega-  
tioni Pisanae iam dissolutæ, & adhaerendum Concilio Late-  
ranensi, nec non ad petendum absolutionem, quatenus  
opus esset, a præfato sanctissimo domino nostro, prout la-  
tius continetur in dicto procuratorio instrumento, cuius  
tenor ob sui prolixitatem, & breuitatis causa, hic non fuit  
insertus: quod tamen vidimus & tenuimus. Et publice co-  
ram nobis & prædictis notariis & testibus infra scriptis re-  
nuntiauerunt & renuntiant dictæ congregationi, 1514.  
vndecima mensis Ianuarii, indictione secunda, & domini  
nostri Leonis papæ decimi anno primo, receptum per ma-  
gistros Ioannem de Aluerina Lemouicensis, & Petrum  
Quesuel Lexouiensis diocesis, notarios apostolicos. Præ-  
fati igitur reuerendi patres & spectabiles doctores, le-  
gati & oratores coram nobis pro tribunali sedentibus, &  
notariis testibusque infra scriptis renuntiarunt & renun-  
tiant dictæ congregationi Pisanae iam dudum dissolutæ, &  
adhaerent adhaerereque volunt in futurum Concilio Late-  
ranensi, vt optata reformatio ecclesiæ & pax vniuersæ  
Christianæ religionis, nec non prouisio necessaria contra  
immanissimum Turcam & hostes fidei subsequantur. Et si  
foran occasione dictæ congregationis Pisanae & gestorum  
in ea, aliquas censuras iuris aut hominis, aut alias quascum-  
que pœnas de iure aut de facto incurrerint, præstito prius  
debito iuramento de parendo mandatis ecclesiæ & præ-  
fati sanctissimi domini nostri Leonis papæ decimi cum illa

humilitate qua possunt & debent, vsque ad prostrationem & pedum oscula, absolutionem qua indigent sibi dari, & quamcumque aliam iuris poenam seu maculam aboleri petierunt & postulauerunt, prout per tenorem praesentium petunt & postulant, ac si coram sanctitate sua praesentes & personaliter interessent, supplicando sanctitati suae cum illa deuotione qua valent, vt ipsis praefatis oratoribus & aliis, quorum legatione funguntur, & qui in dicta congregatione interfuerunt, consilium, auxilium, opem, fauorem, aut obedientiam praestiterunt, absolutionem pro sua solita clementia concedere dignetur: offerentes se supplices preces Deo effundere, vt regimini sanctissimae matris ecclesiae sua sanctitas feliciter & longae praesse valeat. De quibus omnibus & singulis cum quanta maxima instantia potuerunt & valuerunt, rogant, vt pro iustificatione eorum praefatae voluntatis & excusationis, quaeuis acta praedicta, in quantum de iure possumus, vellemus recipere, pro & nomine eiusdem sanctissimi domini nostri & sanctae sedis apostolicae; & de receptis eis actum publicum concedere: quod quidem actum, prout de iure potuimus & debuimus, recepimus, & per notarios publicos in formam publicam redigi fecimus, & eis tradi concessimus & praecipimus.

Datum in dicto coenobio Vlciensi, sub sigillo nostri vicariatus, die decima septima mensis Martii, anno a natiuitate Domini 1514. indictione secunda, pontificatus praebati sanctissimi domini nostri Leonis papae decimi anno primo, praesentibus ad haec spectabilibus viris dominis ac magistris, Aluano de Varenis, Stephano Viuet, iurium doctoribus, Albanensis ac Tutelensis dioecesis, ac Deo deuotis religiosus Orencio de Bardonethia infirmario, & Marcellino Casferii Cocreatario, canonicis dicti coenobii, testibus vocatis & rogatis.

Et ego Petrus Quesuel presbyter in artibus magister, Lexouiensis dioecesis, publicus apostolica auctoritate notarius, quia praedictae expositioni, renuntiationi, adhaesioni, iuramenti praestationi, & absolutionis petitioni, ceterisque praemissis omnibus & singulis, dum sic, vt supra, scriberentur, agerentur, dicerentur & fierent, vna cum Ioanne Iusteri notario publico collega meo, ac pranominatis

ANNO  
CHRISTI  
1514

testibus præfens interfui, eaque sic fieri & dici audiui: ideo hoc præfens publicum instrumentum manu mea scriptum, vna cum sigilli vicariatus dicti domini vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium præmissorum requisitus & rogatus. Et approbo in rasura ipsa, si qua indigeat sibi dari, & quamcumque iuris pœnam seu maculam aboleri.

P. Quesuel.

Et ego Ioannes Iusteri in Delphinatu Taurinensis diocesis publicus auctoritatibus apostolica, imperiali & Delphinali notarius, quia prædictis expositioni, renuntiationi, adhesioni, iuramenti præstationi, & absolutionis petitioni, ceterisque omnibus & singulis, dum sic, vt supra, scriberentur, agerentur, dicerentur & fierent, vna cum dicto magistro Petro Quesuel notario publico collega meo, ac prænominatis testibus; eaque sic fieri vidi & audiui: ideo hoc præfens publicum instrumentum manu dicti domini Petri Quesuel scriptum, fideliter facta debita collatione cum proprio originali, vna cum sigilli vicariatus dicti domini vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum veritatis requisitus & vocatus, approbo in rasura qua indigeat sibi dari, & quamcumque aliam iuris pœnam seu maculam aboleri instare.

Tenor vero literarum consilii Sabaudia, directarum ad prælatos Gallicanos, est talis; & primo superscriptio talis est: Reuerendis patribus & dominis præstantissimis, dominis oratoribus regie maiestatis ad Urbem, dominis honorandis. & intus tenor est talis:

Reuerendi patres & domini honorandi, ex literis quas scribit nobis magnificus dominus Astensis gubernator, videbunt dominationes vestrae quantum exhortetur aliqualem retardationem vltioris transitus vestri, donec responsum, quod pro voto facere speratur, breuiter consequatur, prout latius in eisdem literis, quas, ne prolixiores simus, eisdem dominationibus vestris mandamus his introclusas, quæ pro earum solitis prudentiis non nisi recte prouidebunt & agent, prout melius consulto eis videbitur. Nos autem si quid pro eis valeamus, ad id paratissimos offerimus animo quam libenti. Ex Taurino die 26. Februarii.

Confilium ducis Sabaudiaꝝ citra montes Taurini re-  
fidens. ANNO  
CERENI  
154

Tenor vero literarum prælatorum Gallicæ nationis, di-  
rectarum sanctissimo domino nostro, talis est. & primo in  
supraſcriptione: *Sanctissimo domino nostro Leoni papæ decimo  
pontifici maximo.* Intus vero.

Sanctissime pater, cum omni humilitate, reuerentia &  
honore, vsque ad pedum oscula procidentes, beatitudi-  
nis vestræ perpetuum incrementum a Deo suppliciter  
petimus.

Sanctissime pater, ex breui apostolico, quod ad nos  
mittere sanctitati vestræ placuit, intelleximus datam esse  
operam ab eadem sanctitate vestra cum Maximiliano &  
Octauiano Mediolanensis & Genuensis ducatus detento-  
ribus, vt nobis saluumconductum darent. Vnde gratias a-  
gimus qua valemus humilitate eidem sanctitati vestræ,  
quæ pro innata clementia nos non nisi tuto & secure ad se  
proficisci iubet. At vero ex quo breue apostolicum acce-  
pimus, interea dum saluumconductum prætolamur, dies  
viginti effluxere: cumque iam ante quadraginta lapsi es-  
sent, dum hic agimus, factum est vt sexaginta dierum nu-  
merum egerimus, quatuor mensium interuallo per agros  
ac diuerſoria deducti. Beatissime pater, cum Maximilianus  
sanctitatis vestræ masserio saluum abnuere conductum  
non veritus sit, cumque etiam diuturna nos tenuerit ex-  
pectatione suspensos, quo in nos animo sit, quam suspecta  
nobis esse debeat profectio nostra, facile cognoscimus. O-  
ramus itaque, & totis animis obsecramus, vt Maximiliani  
contumacia, qui spretis semel & iterum mandatis vestris  
durum sese ac renitentem præbuit, moram nostram ex-  
cusset, & promptam quæ in nobis est voluntatem parendi  
nequaquam obscuret: quam vt vestræ sanctitati certius  
testatam relinquamus, actum iudiciale mittimus, coram  
ordinario iudice speciali huius loci legitime vt volumus  
confectum, quale potuissemus agere, iuxta procuratoris  
nostri facultatem in vestræ sanctitatis præsentia Pisana con-  
gregationi iam dissolutæ nomine & nostro, & quorum  
causa procedimus, renuntiando, & adhærendo sacro Late-  
ranensi Concilio, apostolicam denique vt cumque indige-  
mus humiliter ac deuote petendo absolutionem.

San-

ANNO  
CHRISTI  
1514.

Sanctissime pater, solitam illam animi vestri mansuetudinem obnixe imploramus, misereatur tantorum laborum atque impensarum, dignetur expletos sexaginta dies & amplius in deserto hoc & vasta solitudine poenitentiae nostrae loco suscipere, velitque sacri huius temporis & imminenti festi Paschae rationem habere, quo diuinis, vt officii nostri est, vacare commode valeamus, ne commissis nobis gregibus diutina absentia nostra salutis dispendium ferat. Beatissime pater, paratos omni tempore ad obsequia vestrae sanctitatis animos offerimus, diuinam maiestatem oraturi, vt felicem donet vestrae sanctitati cursum hic agere, & in caelis vna cum omnibus quos dedit vobis Pater, perennem gloriam adipisci. Ex Vlciis prope Secusiam, die decimanona Maii. Eiusdem sanctitatis vestrae humillimae creaturae & deuoti oratores episcopi.

I. Cabilonensis.  
E. Lexouienensis.  
F. Ambianensis.  
A. Engolismensis.  
S. Laudunensis.

Ex aduerso contra dicta & allegata per praefatum reuerendum patrem dominum Claudium episcopum, magnificus dominus Hieronymus Moron orator illustrissimi Maximiliani Sfortiae ducis Mediolani dixit, quod praefatus illustrissimus dominus dux non negauerat praelatis Gallicae nationis saluumconductum, sed distulerat eis dare, causa deliberandi & consulendi. Et auditis hinc inde propositis, tandem sanctissimus dominus noster absoluit cum reincidentia praelatos praefatos a censuris, si quas incurrerant; & prorogauit eisdem terminum vsque ad proximam sessionem, & interim suspendit censuras, & voluit eos interim non incurrere, sed elapso termino, in pristinas censuras reincidere, & non ante. Postmodum vero exclusis aliis non habentibus vocem definitiuam in Concilio, a loco Concilii, exceptis oratoribus & baronibus supra descriptis, praelatisque omnibus existentibus in vestibulis & paramentis sacris in suis subfelliis mitratibus ex ordine post reuerendissimos dominos cardinales in praesentia sanctissimi domini nostri papae; praefatus reuerendus pater dominus Claudius episcopus Massiliensis



ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam tenoris infra scripti.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.*

Posteaquam ad vniuersalis ecclesiæ curam & regimen, licet tanto oneri impares, diuina dispensatione vocati fuimus, ex summo statim apostolatus apice, tamquam ex vertice montis Sion, ea prospicere ac animo voluere cœpimus, quæ ad salutem, tranquillitatem ac propagationem ipsius ecclesiæ pertinere in primis videbantur. Cumque in hanc rem omnem nostram curam, cogitationem ac studium more solertis vigilisque pastoris conuerteremus, nihil grauius aut Christianæ reipublicæ perniciosius, & pio nostro desiderio magis aduersum bellorum effera rabie comperimus, quæ vsque adeo armis grassata est, vt vastata pene mutuis cladibus Italia, deformatisque ac partim euersis, æquatis partim solo ciuitatibus & terris, concussis prouinciis & regnis, in Christianum sanguinem furere ac debacchari non desinant. Nihil itaque prius, nihil studiosius, aut magis ex animo curandum duximus, quam ea bella sedare, ecclesiasticamque disciplinam pro viribus ac temporum ratione componere, vt placato per vitæ emendationem Deo, dominicum gregem nostræ fidei commissum, compositis dissidiis, in vnum cogere & aggregare, vnanimemque ac pacis & concordie vinculo tamquam firmissimo glutino vnitum, aduersus communes hostes fidei Christianis ceruicibus imminentes facilius adhortari ac concitare possimus. Cuius quidem expeditionis in impios & crucis Christi implacabiles inimicos, hoc vehemens nostrum desiderium ita cordi nostro infixum est, vt sacrum Lateranense Concilium a felicis recordationis Iulio II. prædecessore nostro indictum ac inchoatum, eiusque obitu intermissum, ea præcipue causa continuare & prosequi decreuerimus, vt in diuersis sessionibus in eodem sacro Concilio per nos habitis omnibus patet, vt Christianis principibus, seu eorum oratoribus in eo Concilio congregatis, prælatisque ex diuersis mundi partibus eo venientibus, pace inter ipsos Christianos principes composita, extirpatisque, vt par est, primo ex Domini agro pestiferis hæresum

ANNO  
CHRISTI  
1514.

sentibus, ea quæ ad ipsam expeditionem contra eosdem hostes necessaria, ac ad gloriam & exaltationem orthodoxæ fidei, aliarumve rerum consultationem pertinent, maturo consilio omniumque assensu decerni feliciter possent. Ad quod quidem Concilium solenniter indictum, riteque denuntiatur, etsi multi ex diuersis Europæ partibus præclari & in omni scientia præstantes viri conuenerint, multi etiam legitime impediti mandata in publica forma miserint: non tamen bellorum ac temporum difficultatibus, quibus loca plurima iam diu hostilibus armis obsessa fuerunt, ea quam desiderabamus, copia & multitudo conuenire potuit. Nihil est præterea quod nobis adscribi possit, si hæctenus (quod forsitan multis necessarium videtur, & nos opportunum præ ceteris putamus) legatos de latere ad reges & principes pro concordia eorumdem principum & pace non misimus. Hac sane causa id facere destitimus. Principes enim fere omnes suis ad nos literis ac nuntiis, legatos mitti, minime expedire aut necessarium esse significarunt. Circumspectos nihilo minus ac probatæ fidei viros nuntios nostros, etiam episcopali dignitate præditos, ad eos ipsos principes grauiora inter se armis, ac, quantum conici poterat, asperiora bella molientes vltro misimus. Quorum præcipue opera effectum est, vt pactis iam inter quosdam principes induciis, ceteri eas breui approbaturi esse credantur. Quare legatos, vti proxima sessione decreuimus, vbi opus & expediens fuerit, pro stabili ac perpetua pace inter eos componenda, ac vti antea proposuimus, mittere non postponemus. Neque interim cum eorumdem principum oratoribus apud nos agentibus, quæ ad rem huiusmodi pertinent, agere & meditari, neque ipsos etiam principes per nostros nuntios & literas ad id vrgere & admonere cessabimus. Quin etiam vt nostra pacis consilia & iuges cogitatus omnipotēs & misericors Deus promoueat ex alto, ac fidelem plebem æquis ac propitiis magis oculis aspiciat, & pro communi salute ac pace, compescendaque nefariorum Christiani nominis hostium superba rabie, eius piis annuat precibus: vniuersis & singulis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, nec non ecclesiarum, tam cathedralium quam collegiatarum, tamque sæcularium quam quorumuis ordinum regularium capitulis,

collegiis, conuentibus, plebanis, decanis, ecclesiarum rectoribus, ceterisque animarum curam habentibus, prædicatoribus, quæstoribus, ac verbum Dei ad populum pronuntiantibus, auctoritate apostolica iniungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus intra Missarum solennia, & dum inter aut extra illa verbum Dei ad populum proponetur, ac in eorum orationibus, quas capitulariter & conuentualiter, aut alias in quibuscumque congregationibus facient respectiue pro pace Christianorum & infidelium confusione, has collectas habeant speciales; videlicet, Deus a quo sancta desideria: Et, Deus in cuius manu sunt omnes potestates & omnia iura regnorum, respice in auxilium Christianorum. Et nihilo minus suis diocesanis, & aliis quibuscumque personis vtriusque sexus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quibus ratione prælaturæ & alterius cuiuscumque superioritatis ecclesiasticæ præsidebunt, iniungant, ac in Domino eos hortentur, quibus Dei verbum sua aut alterius auctoritate proponetur, vt priuatim pro pace, vt præmittitur, Christianorum, & infidelium exterminatione, ad Deum ipsum ac gloriosissimam eius matrem in oratione dominica & in angelica salutatione piæ preces effundant. Et insuper quicumque ex supradictis apud principes sæculares cuiuscumque gradus, præminentia vel dignitatis existant, aut etiam consiliarios, familiares, domesticos & officarios eorum, nec non apud ciuitatum, oppidorum, vel vniuersitatum, quorumcumque sæcularium magistratus, rectores, locumtenentes, aut alias vtriusque sexus personas, ecclesiasticas vel sæculares, quas ad pacem vniuersalem aut particularem inter principes, potentatus & Christianos populos, nec non ad expeditionem contra infideles persuadendam, auctoritate & gratia valere putauerint, illos ad huiusmodi pacem & expeditionem hortentur & inducant. Quos omnes per viscera misericordiæ Dei nostri, & per meritum passionis vnigeniti eius filii Iesu Christi, quam maximo possumus cordis affectu in Domino hortamur, ac pro pastoralis officii qua fungimur auctoritate monemus, vt depositis priuatis simulatibus, apertisque inimicitiis, ad pacis studia amplectenda, & ad expeditionem prædictam discernendam se conuertant. Propterea que omnibus &

ANNO  
CHRISTI  
1514.

singulis prælatis, principibus & personis, tam sæcularibus quam ecclesiasticis, cuiuscumque status, gradus, dignitatis & præminentie aut conditionis existant, sub interminatione diuini iudicii districtius inhibemus, ne dictæ paci per nos aut nostros, seu sedis apostolicæ legatos vel nuntios, & episcopali dignitate præditos, vt præfertur, pro Christianæ reipublicæ defensione & fidelium salute tractandæ aliquod impedimentum directe vel indirecte, palam aut occulte interponere quoquo modo præsumant. Sed qui in pace conficienda priuatum aut publicum suorum principum suarumve ciuitatum aut rerum publicarum, quorum quarumve ad eos ratione officii vel publici alicuius muneris cura spectabit, interesse prætendant, illud quoad modestius tranquilliusve poterunt, prosequentes, pacis nihilo minus partes & studia, quantum in Domino poterunt, amplectantur. Quin etiam ad dictam pacem & expeditionem contra dictos Christianæ fidei hostes procurandam, & ab ipso Deo impetrandam, volentes spiritualibus donis Christi fideles animare, omnibus vere confessis & contritis, qui pro ipsa obtinenda pace ac decernenda expeditione in Missis, prædicationibus, & aliis diuinis officiis, aut in collegialibus, conuentualibus, aliisve publicis aut communibus orationibus deuote ad Deum preces effundant, aut apud principes, consiliarios, officarios, rectores, vel alias personas suprædictas, quæ ad pacem faciendam vel tractandam, & expeditionem in hostes inuictæ crucis, vt præmittitur, decernendam, aliquam auctoritatem habere videbuntur, diligentem ac solertem operam adhibebunt, quoties id fecerint: qui vero priuatim ac particulariter pro præmissis a Deo consequendis deuotas effuderint preces, septies in die, si toties id fecerint; aut si minus, quoties id fecerint, donec pax vniuersalis, quæ per nos assidue tractatur, inter principes & populos impræsentiarum armis dissidentes, confecta sit, & expeditio contra infideles nostris auspiciis decreta, de omnipotentis Dei misericordia, ac de beatorum eius apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, centum dies de iniunctis eis pœnitentiis relaxamus. Mandantes propterea venerabilibus fratribus primatibus, patriarchis, archiepiscopis & epi-

scopis, ad quos presentes seu earum exempla sub sigillis authenticis, vel in Vrbe, aut alibi fideliter impressa peruenierint, quatenus illas per suas prouincias & dioceses, quanto citius poterunt, faciant publicari, ac debita executioni demandari. Ceterum, quod proposuimus & toto corde concupiimus, reformationem interim ecclesiasticam tam curia nostra, quam etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, & aliorum in Vrbe commorantium, & alia complura necessaria, sacro approbante Concilio decreuimus, quae aliis nostris literis in hac eadem sessione publicandis continebuntur. Et licet idem Iulius praedecessor noster ad huiusmodi Concilium omnes qui adesse consueuerunt, conuocauerit, & ut tute ac secure venire & accedere possent, eis amplum saluumconductum dederit: quia tamen haec tenus ob praedicta forsitan impedimenta complures praelati, qui venire deberent, adhuc non uenerunt, cupientes nos ad grauiora in futura proxima sessione procedere, denuo ipsos ac reges, duces, marchiones, comites & alios ad Concilia generalia venire aut mittere assuetos, qui haec tenus oratores vel mandata legitima non dederint, in Domino hortamur, ac per eiusdem misericordiae viscera rogamus & monemus, ut quamprimum poterunt, vel ipsi personaliter accedere, vel speciales & idoneos nuntios cum legitimis mandatis ad hoc sacrum & Christianae reipublicae perutile futurum Lateranense Concilium mittere uelint. Venerabilibus autem fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, praelatis, praesertim sub vinculo iurisiurandi, ad uisitandum certis statutisque temporibus limina apostolorum Petri & Pauli, & ad generalia Concilia indicta personaliter accedendum, etiam tempore suae promotionis adstrictis, quorum non contemptum contumacia in diuersis sessionibus per promotorem dicti Concilii saepius accusata extitit, & contra eosdem petitum procedi, & de incursum censurarum & poenarum protestatum sollemniter reperitur, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, concessionibus & indultis eis, eorumque ecclesiis, monasteriis & beneficiis per dictos praedecessores nostros aut nos concessis, confirmatis & innouatis: quae habentes pro expressis, ex certa scien-

ANNO  
CHRISTI  
1514

tia & plenitudine potestatis cassamus, irritamus & annullamus, in virtute sanctæ obedientiæ iniungimus, ac sub excommunicationis & periurii, aliisque de iure vel consuetudine, & præsertim in literis indictionis & publicationis dicti Concilii Lateranensis per ipsum Iulium prædecessorem nostrum specialiter indictis, aut aliis non accedentibus ad Concilium rite indictum pœnis, districtius mandamus, vt ad dictum Concilium Lateranense accedere personaliter, & vsquequo conclusum & auctoritate nostra absolutum fuerit, in Vrbe morari debeant, nisi aliqua legitima causa impediti fuerint. Et si, vt præfertur, modo fuerint impediti, procuratores suos speciales cum pleno mandato ad ea quæ tractanda, agenda & deliberanda erunt, idoneos mittant. Et vt omnis prorsus excusatio tollatur, neve cuiquam venire debenti prætextus aliquis cuiuscumque impedimenti relinquatur, præter publicam fidem, quam in indictione huius sacri Concilii omnibus ad id venientibus liquet esse concessam, hoc eodem approbante Concilio, omnibus & singulis in congregationibus Conciliorum generalium adesse solitis, & ad ipsum Lateranense Concilium venientibus, eorumque domesticis familiaribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis & conditionis vel nobilitatis existant, ecclesiasticis & sæcularibus, pro se & bonis suis quibuscumque per ciuitates, terras & loca, tam maritima quam terrestria, dictæ Romanæ ecclesiæ subiecta, ad Concilium Lateranense ad Urbem veniendi, & in ea libere commorandi, & pro animi sententia consulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, & post quatuor menses a dicti Concilii conclusione & dissolutione liberum, tutum & securum saluumconductum, ac plenam & omnimodam securitatem auctoritate apostolica tenore præsentium, de consilio & potestate prædictis, damus & concedimus & impartimur, aliosque saluosconductus & securitates habere cupientibus dare libere pollicemur: quos omnes & singulos benigne & caritatiue tractabimus & suscipiemus. Mandantes omnibus & singulis principibus sæcularibus, quantumcumque grandi dignitate, etiam imperiali, regali, reginali, ducali, aut alia quacumque fulgentibus, & ciuitatum rectoribus, ac ciuibus eorum rempublicam gu-

bernantibus & regentibus, vt prælati & aliis ad dictum <sup>ANNO</sup> Concilium Lateranense venientibus, sub diuina maiesta- <sup>1514.</sup> tis & indignationis nostræ incurfu, & pœnis contra im-  
pedientes Conciliorum celebrationem, & præfertim di-  
cti Lateranensis Concilii, iniure, siue literis præfatæ indi-  
ctionis per prædecessorem nostrum contentis & apposi-  
tis, liberam licentiam & facultatem, saluumque condu-  
ctum veniendi & redeundi, & per eorum dominia, ter-  
ras & loca, per quæ ipsos transitum facere oporteat, cum  
eorum rebus & bonis ac equis, liberum transitum & in-  
noxium concedant, omnibus prorsus exceptionibus siue  
excusationibus semotis ac cessantibus. Mandamus insu-  
per & iniungimus sub indignationis nostræ & aliis arbi-  
trio nostro infligendis pœnis, omnibus & singulis genti-  
bus nostris armigeris, tam pedestribus quam equestri-  
bus, eorumque ducibus & ductoribus, ac etiam arcium  
nostrarum castellanis, ciuitatumque & locorum dictæ  
Romanæ ecclesiæ subiectorum legatis, gubernatoribus,  
rektoribus, locumtenentibus, potestatibus, officialibus  
& vassallis, vt quibusuis constitutionibus, ordinationibus  
apostolicis, legibus imperialibus, statutisque & consuetu-  
dinibus municipalibus, etiam iuramento & confirmatio-  
ne apostolica, aut quauis alia firmitate roboratis non ob-  
stantibus, quæ saluoconducti & securitati præmissis in a-  
liquo derogare, seu illa quoquo modo impedire possent,  
etiam si talia forent, de quibus specialis & specifica, ex-  
pressa & indiuidua, non autem per generales clausulas id  
importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda  
foret, illorum omnium tenores præsentibus, ac si de ver-  
bo ad verbum infererentur, pro expressis habentes, & a-  
liis quibuscumque, cuiuscumque gradus, status, conditio-  
nis & præminentia fuerint, vt ipsos venientes ad Con-  
cilium Lateranense libere, tute & secure transire, mora-  
ri & recedere permittant & permitti faciant, ne tam san-  
ctum, laudabile ac pernecessarium Concilium quauis cau-  
sa vel prætextu distrahatur, & vt ad illud venientes tute  
ac in pacis tranquillitate libertateque viuere, dicere & ex-  
pedire valeant, quæ honorē Dei omnipotentis, statumque  
totius ecclesiæ concernant. Nulli ergo omnino hominum  
liceat hanc paginam nostræ iniunctionis, inhibitionis, re-  
laxa-

ANNO  
CHRISTI  
1514.

laxationis, exhortationis, rogationis, monitionis, cassationis, irritationis, annullationis, donationis, concessionis, obligationis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoquarto, tertio Nonas Maii, pontificatus nostri anno secundo. Qua perlecta, petiit a Concilio, an placerent paternitatibus suis contenta in scheda. Et omnes, nemine penitus discrepante, ac quilibet eorum respondit, placere contenta in scheda. Deinde reuerendus pater dominus Vincentius archiepiscopus Neapolitanus ascendit ambonem, & legit aliam quamdam schedulam tenoris infra scripti.

## BVLLA REFORMATIONIS CVRIÆ.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacrosancto approbante Concilio.*

Supernæ dispositionis arbitrio, quo cælestia pariter & terrena ineffabili prouidentia disponuntur, in sublimi beati Petri folio Christi vnigeniti Dei filii gerentem vices in terris Romanum pontificem decet in primis, pro cura & salute dominici gregis sibi diuinitus commissi, prouidi exercere pastoris officium. Quare pro dicti pastoralis officii sollicitudine, cum ecclesiasticam disciplinam, ac per omnes fere Christi fidelium gradus bene recteque viuendi regulam temporum difficultate ac hominum malitia, licentiaque & impunitate in deterius ita labi, diffuere, aberrareque longius a recta via animaduertimus, vt nisi prouida corrigatur emendatione, in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere, moxque obortis publice scandalis, prorumpere sit verendum. Cupientes igitur, quatenus nobis ex alto permittitur, ea iam nimium inualescentia mala corrigere, ac pleraque in pristinam sacrorum Canonum obseruantiam reducere, ac in melius iuxta sanctorum patrum instituta dante Domino reformare, eaque omnia, sacro approbante Lateranensi Concilio, a felicis recordationis Iulio papa secundo prædecessore no-

*Concil. Tom. 34.*

Bbb